

non nascantur in ipso momento dum incorporatur pluvia cum pulvere, sed quòd jam ab aliquot diebus natifuerint, & promitterem, quòd vellem ipsi dare exprimentum verum hujus rei, ut passet videre & tangere manibus omnes illos quos videret & putaret hoc ipso momento natos, gerere stomachum herbis repletum & intestina similiter excrementis; non tamen potui eum eò inclinare, ut concessisset aperire unum, quem elegisset, in ipsius presentia. Enim verò utrumque istud non solum magno scientiarum & Philosophiæ detrimento fit, quum studia potius sint Antiquitatis & Novitatis, quàm judicia; veritas autem non à felicitate temporis alicujus, quæ res varia est, sed à lumine Naturæ & experientiæ, quod æternum, petenda sit, uti sapienter iterum Verulamius Novi Organi Lib. I. Aphor. 56. sed est quoque in utrorumque temporum operosam industriam & ingeniosos ausus valdè iniquum & injurium. Quid enim? cum antiquos lapides adeò veneremur & exesa veritate monumenta tantum non adoremus; non est profectò cur antiquorum Philosophorum meletemata promiscuè contemnamus, etsi manca alicubi ac defectuosa: quin potius, ubi cum moderatissimo Seneca dicendum nobis est, opinioniones veterum parùm exactas, ac circa verum adhuc erratum esse, cum eodem etiam statuamus, cum excusatione veteres audiendos esse: Nullam rem consummatam esse dum incipit. --- Nova omnia fuisse primò tentantibus; post eadem limitata esse; et si quid inventum est, illis nihilominus referri debere acceptum, Lib. VI. Qu. Nat. c. 5: Et quemadmodum Aristoteles priscis, acutissimi Cæsalpini judicio, sic nostrates Philosophos Aristoteli gratiam omninò debere. Si enim (sic pergit ille in præfat. ad Quæst. Perip.) non fuisset Democritus, Empedocles, Anaxagoras, aliq. multi; & tandem Plato; non fuisset Aristoteles: Et si non fuisset Aristoteles (ita nos porrò eodem jure concludimus,) non fuisset Verulamius, Gasendus, Cartesius, aut quisquam recentiorum